



3 1761 07134066 5

Rothe, Carolus
De disciplinae speculativae
initio

BD
41
R67



**DE
DISCIPLINAE SPECULATIVAE INITIO.**

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

DIE IV. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXI
H. L. Q. C.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ROTHE
LEUCOPETRENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES AGENT:

NIEWERT, STUD. THEOL.
FELDNER, STUD. THEOL.



REGIMONTI PR.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY 101

LECTURE NOTES

1964-65

BY

W. V. QUINE

PHILOSOPHY DEPARTMENT

UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY 101

LECTURE NOTES

ADVANCED TOPICS

LECTURE NOTES

BY

W. V. QUINE

PHILOSOPHY DEPARTMENT

BD
41
R67



I.

Ergo quid agatur quaeritur? vel qua de re sermo nobis futurus sit? vel quid rei, quam partem literarum quemve locum ad pertractandum nobis sumpserimus? — Etsi non plane perspectum ego et exploratum habeo, quid ad haec legenda aggressurus quaesieris, quid forte momente causa et titulo hujus disputationis auctorem poscas, quidve ab eo exspectes; hoc unum scio, idemque a te mihi scio concedi, quaerere te et expectare. Priusquam enim legere incipias, ea, quae insunt in libello, ignoras; scire autem vis, et propterea mentem et oculos adhibes; quaeris igitur et exspectas ventura. Hoc facis ab initio, facies in progressu, donec ad finem legendi perveneris.

Quid haec per se clara moneo? Velim, quod fere cupiunt, quibus cum lectoribus vel auditoribus res est, ita tecum agere, ut in summa hujusce disputationis nihil reperiatur, quin mihi tecum commune sit et utriusque nostrum consensu sic, uti fit, fiat. Atque id apud illos maxime utile videtur et necessarium, qui harum rerum iudices sunt constituti. Quapropter id, quod ab initio fecisse concedis, una tecum facere constitui. Quid agatur, quaeris. Hoc igitur agamus, ut quaeramus. Hanc simplicissimam viam ad consensionem confirmandam ac tuendam video. Quid agatur, quaeris; poscis me et paratam a me responsionem exspectas. Quid

igitur respondeam? Nihil nisi id, quod ipsa quaestio postulat. Etenim quod ad quaestionem necessario respondendum est, siquidem quaeris, ipse invenies, neque in eo quidquam minus tibi quam in tua quaerendi conscientia perspicuum erit. Ego vero tecum quaerendo et inveniendō et expectationi tuae satisfaciam, et in eo, quod agetur, tecum consentiam.

Visne igitur incipiamus? —

Ergo quaeritur, quid agatur; quid rei, quid negotii propositum sit; quo literarum vel artium haec quaestio pertinet; at; quaeritur quidquid aliquis voluerit; denique, ejusmodi varietate omissa, quaeritur. Ergo respondendum est; neque vero quidquam aliunde repetitum, nostra libidine fictum, nostro arbitrio statutum, sed nihil nisi id, quod ipsius quaestionis est, id ipsum quod quaeritur, sive quaesitum.

II.

Quoad igitur quod quaeritur ignotum jacet, liceat de eo verbis uti philosophi cujusdam celeberrimi multisque hodie invisī, cujus potissimum auctoritate et momento inductus hanc rem suscepi. Indeterminatum et absolutum ut est, sic fere ait Hegelius (Log. I., q. 72, s.), ipsum sibi tantum aequale, neque inaequale cum aliis, nec varietatem in sese, neque ullam extrinsecus habet discrepantiam. Cui si ullos fines, ullam naturam tribueris, quibus aut in ipso discrimen, aut ipsum ab aliis diversum positum erit, non pure ipsum concipies. Absolute est indefinitum et vacuum. In eo nihil est intueri, vel hoc ipsum tantum est, purus et vacuus intuendi actus. Neque in eo quidquam est cogitare, vel item haec tantum vacua cogitatio.

Haec igitur Hegelii verba de illo, quod nobis quaeritur, valent. Nam determinandi et definiendi si

mentio fit, nos quidem illud, quod spectamus, speculationis nostrae quasi finem ac terminum esse volumus, ipsum autem, quia, quid sit, nondum apparuit, definitionem non nisi a nobis acceptam habet, quum ipsius sit infinitio. — Respicientibus vinculum quoddam inter omnes res intercedens ita quidquam illud conjunctum et connexum esse dici potest, quod nostra quaestione comprehenditur et continetur; praeterea autem ipsum per se conceptum nullum adhuc aut partium suarum cohaerentiam, aut cum alio conjunctionem declaravit, ideoque absolute est id quod est. — Aequi autem et aequandi ratione habita cuinam possit praeter ipsum equiparari, aut cui alteri impar poni, quoad ipsum solum, quod quaeritur, neque aliud quidquam praeter illud respicitur et mente retinetur, atque incertum est, an alterum cum eo conferendum idem atque ipsum sit? Appareat ejus dissimilitudo et varietas; nulla dum apparuit, nullam habet, impar non est. — Nihil in eo est, quod intuearis vel cogites. De cogitando autem et intuendo hoc loco licet loqui, si quis meminerit nos illud prehendere, de eoque agere et verba facere, idemque quaerere et sciscitari, quae omnia sine intuendi et cogitandi actionibus fieri nequeunt. Similiter ubi scriptio instituitur, quum primum calamus chartae admovetur, de scribendo loqui licet; at hoc ipsum, calamum admovere, quis dixerit esse scribere, nisi forte pure et inaniter, sive scribere, necdum scribere. Eadem ratione illud, quod quaeritur, est cogitatio, quippe quod cogitando concipiamus; est intuitus, quum sit id, quod intuentes ac respicientes verba facimus, sed adeo utrumque pure et inaniter, ut idem nullus intuitus nullaque cogitatio vocari possit. —

Manifestum est, quaesito, quale ab initio adhuc jacet, nomen *Esse*, quod in nomen *Hegelius* definitiones supra laudatas valere vult, fas non esse tam-

quam necessarium imponere. Licet quidem hujus verbi, ut antea cogitandi, determinandi, aliorum, rationem habere, quando meminimus omnia, quae cogitamus et loquimur, nobis id, quod cogitamus, atque sic, uti cogitamus, esse. Esse est inter cogitationis voces. Hujus autem prae aliis, quotcumque objici possunt, rationem habere ipsum quaesitum, quale adhuc novimus, nequaquam cogit. Si dicere placeret, quaesitum Esse vocari, sive simpliciter, sive argumentis additis, nobiscum ipsi pugnaremus. Sine argumentis proponentes extra propositum ageremus; voluimus enim ad primam quaestionem nihil respondere nisi quod necessario respondendum foret; simpliciter vero proponere est temere et sine ratione et necessitate agere. Sin propositum argumentis confirmaremus, id quidem non nisi ita fieri posset, ut, quid sit Esse, quid sit quaesitum, certis quibusdam notionibus pro accepto omnibus fundamento poneretur. Pro cognito igitur et aperto haberetur id quod quaeritur. Atqui nobis nulla certa causa, nullum certum argumentum, de quo quaestio fieret, propositum est, sed quaerere constituimus et quaesitum quaestioni permittere. Esse sit, nec ne, spero videbimus. Adhuc nescimus. Caveamus, ne hoc vel illo nomine obtruso misceamus, quod ut pure explicetur, pure ac simpliciter concipiendum est.

Ceterum fecimus, id, quod et Hegelius homines ad ineundam disciplinam postulare videtur. Quamquam ille quidem, ubi viam suam hominibus patefacere conatur, haud scio an illos, quibuscum doctoribus res est, parum noverit. In praefatione „phaenomenologiae“, ubi de initio philosophiae loquitur, philosophiam jure dicit postulare, ut homo (aliter enim in ea respirare, cum ea vivere non posse) in illum aetherem sese efferrat, in illo solo constet, quod sit scientiae in universum. Hominem contra jure postulare, ut scalae saltem

sibi praebeantur, quibus ad illud fastigium escendat. Quod jus positum esse in simplici sui conscientia, in absoluta libertate, qua mens in qualicumque sui gradu se sciat frui. — Si ratio philosophiae reliquis sciendi rationibus major est, potest sane aliquando aptum esse animum libertate confisum ad semetipsum advertere, ut et humilitatem suam sentiat, et altiora desideret. Sed ut tandem quis perveniat, quando ea altitudo est, ut scalis opus sit, qui scalas saltem praebet, minimum videlicet praebet. Quod supra adjici beneficium velimus, ut de summo dux escensuro futurus descendat, id eo magis optandum videtur, quo magis super voraginem capite incedere praemonitus reformidaveris. Simplicitati enim cogitandi et sciendi philosophia, ut ille vult, speciem praebet inversam, et, quas offert scalas, phaenomenologia est philosophiae. — In his igitur difficultatibus ab Hegelio destitutus ipse tibi, si potes, consule. Expresse ille quidem negat se mentis rudis ad philosophiam institutionem spectare. Quid ergo? An fortasse erudita? At illam non jam opus est attolli; stat enim supra. Verumtamen institutionem instituit Hegelius, ideoque tiro ei non recusandus est. Sed rursus frustatur, quum pag. XXXIII dicit, quod postulent, ut mens indocta ad scientiam perducatur, id agendum esse universe, et mentem universam sive rationem generalem ejusque progressionem spectandam. Quae spectatio quum fiat oculis, ut ita dicam, philosophiae, quomodo nos ejus participes esse possimus? Jubemur scientes esse, ut scire incipiamus, jubemur instituti esse, ut institui possimus.

Non effugit indoctum Hegelius. Logicam facit primam philosophiae partem, purum Esse initium: in easdem incidit angustias. Tironem respicit eo ipso, quod, antequam ad purum Esse deveniat, de initio philosophiae loquitur. Ipse enim dicit initium nullius

momenti ad ipsam philosophiam esse, sed ad eum solummodo, qui philosophandi consilium sit capturus. (Encycl. §. 17.) Propius vero ad utilitatem discipuli accedit ea quaestio, qua commentatio illa logicae praemissa inscripta est: unde disciplinae initium capiendum sit. Verum in fine commentationis illius quum profiteatur, tantum abesse, ut praecambula ista ratione initium et Esse efficere voluerit, ut omnibus ambagibus praecisis ipsum hoc initium nulla praeparatione, nulla praefatione egeat; itaque rursus aut tironem tamquam eruditum tractat, aut ineruditam linguam ei occludit. At ille denuo tamen os aperit. Vixdum viam ingressus Hegelius ad primas statim voces et notiones logicas notam illam excusationum et accusationum frequentiam percipit. Quas ille tamquam re bene gesta aliquoties cum admiratione excipit. At ita rem gerere debebat, ut causa non esset. Alias mores malos sive, ut ipse interpretatur, ineruditos objurgat, et quasi male moratos discipulos virgis caedit. At quid ei juris in eos, quos ante ipse sua schola arcuerit? Simul autem ad refutationes descendendo adversarios agnoscit et pares reddit, quos, ut ad foras philosophiae stantes, eosdem inferiores sese iudicat.

In his igitur difficultatibus versatur Hegelius. In vestibulo prooemiorum, praefationum, prologorum strues; intus annotationes et commentarii, quam gravia domesticis negotiis! Nec non sentit rem sibi impeditam esse, et passim queritur atque omni ejusmodi apparatu optat supersedere posse. (Encycl. §. 25. Anm. Log. I, p. 24.) Frustra. Causae difficultatum immemor nec, quod vexat, exuere, nec, quod optat, adipisci potest. Quae causa est in eo, quod parum videt, quae tironibus cum philosophia ratio intercedat.

Recte quidem Hegelius, ut supra commemoratum est, universe dicit agendum esse, ut indoctus et ineru-

ditus ad scientiam perducatur; verum non agit universe, nisi quod dicunt abstracte; quamvis eam abstractam universitatem ipse magnopere spernat. Non ille universae mentis progressionem considerare debebat, sed cum singulis secundum universalem eorum naturam commercium jungere, singulos ad universe agendum sollicitare.

Hac demum ratione philosophia doceri ac disci poterit. Doceri autem ac disci eam posse oportere, Hegelius quidem ipse contendit, nec fortasse cuiquam non probabitur, nullam inter mortales artem vel doctrinam vel disciplinam nisi docendo et discendo unquam existisse. Est igitur inter doctorem et discipulum haec ratio. Doctor suo jure postulat, ut discipulus (singulum corpus, singula mens) nihil nisi id agat, quod naturae rei (quae est generalis et universalis) conveniat. Contra discipulus suo jure postulat, ut ad convenienter agendum a doctore adducatur et instituatur. Exempli causa saltare discitur ac docetur. Habes hoc corpus, hos pedes, ad saltandum natura aptos; adest altera ex parte magister, et ipse rei peritus. Saltationis initium fit magistro id agente, ut hoc corpus, hi pedes sic nescio quomodo vel consistant vel moveantur.

Nihil fortasse videtur, quod talia monemus magistrum philosophiae, quae quidem fugere neminem possint. Eo mirabilius autem, ejusmodi rei mentionem necessario inferendam esse; sicut revera est. Quamquam, si, quaecunque oratione vel literis exhibentur, eadem dicis et disci et doceri, quandoquidem orator impertiat, lector auditorve accipiat, haud dubie et Hegelius, quod postulatur, fecit; quae conscripsit enim, legimus. Verum quod universam philosophiam docere voluit (cujus rei causa libros credo scripsit), propositum non assecutus spem fefellit.

En adsumus discipuli tironesque. Quod agitur, nondum habemus, sed quaerimus. Ignota adhuc res nobis est, quam cupimus noscere. Sciendi tirones nondum scimus, sed scituri sumus. Quam aggressuri sumus, philosophia, seu quocunque nomine dici fas est, nihil nobis nisi inane nomen est. Ut scientes simus, quod faciendum expetat scientia, nihil adhuc fecimus. Sed incipere volumus. Exspectamus doctorem et quid ille nobiscum incepturus sit.

Jam quod Hegelius secum statuit, philosophiam a logicis incipiendam esse, id ad nos discipulos nihil spectat, quibus id nomen haud significantius est quam philosophiae. Atque ipse concedit, omnis philosophiae, sicut logicae ipsius, divisionem, priusquam re ipsa apparuerit, anticipationem proponi.

Statuit Hegelius (Log. I, p. 58), secundum phaenomenologiam sive conscientiae doctrinam summam conscientiae esse scientiam puram, fidem in veritatem versam, cui fidei altera ex parte non jam objecta res, sed intus accepta sit et ipsa esse sciatur; quaeque altera ex parte sese ut rebus simplici negatione objectam scire desierit, hanc formam subjectivam exuerit et cum exuta unum idemque sit. Nos, discipuli qui sumus, phaenomenologiam ignoramus, quippe quae doctrina sit, cujus, ut initio, scientiam possidemus nullam. Sed tamen nosmetipsos si respicimus, ii sumus initio, qui illam, quam describit, conscientiae summam jure nobis vindicemus atque in purae ac simplicis scientiae aditu constituisse nos existimemus.

Omnibus rebus, quaecunque mentem et cogitationem occupaverant, sepositis, omnibus etiam, si forte fuerant, philosophiae praeparationibus omissis, in eo est, ut novum quid adoriamur. Quod ipsum novum prorsus ignotum nobis adhuc est; cujus si quam notionem unquam vel ideam habuimus aut habere nos pu-

tavimus, abjecimus, a principio progressuri. A tergo quae relictæ sunt, nihil curamus, necdum, ante quae jacent, in conspectum se nobis dederunt. Et reposita et proposita latent nos. Quod expectamus et quaerimus et speculamur et sciscitamus (sic tantum sumus discipuli et tirones), in eo nullam nobis rem habemus objectam. Nec tamen ideo res nulla est. Sed quaestio speculatioque, intus rem possidens seque ipsam esse illam sciens, abstracte quidem, ut ab initio, fides tamen et conscientia veritatis est. Etenim qualiscunque res posthac apparebit, quaestio non foret quaestio, nisi quaesitum quaeri pro certo esset. Quaesitum autem, ut tale, est res, quatenus ipsius quaestionis in eaque ipsa sita est. — Deinde quaestio, se ipsa vel rem et responsum in sese complexa, exiit formam illam subjectivam, cui res opponuntur, quae non eadem atque illa sunt; quae quidem forma exsisteret, si quid rei (ut purum Esse) ab initio propositum esset, de quo quaeretur et disputaretur. — Porro unum idemque cum negata illa forma est quaesiti quaestio, quatenus non nisi negatione aliorum fit, ut quaesitum quaestionis esse appareat. — Denique quaesitum quaerere est fides in veritatem versa. Versa quidem est exuendo, separando, negando; in veritatem autem versa est, — quid enim quaestioni verius quaesito? —

Quod igitur scientia in principio sic, uti dictum est, se habet, ea non est tironis discipulive consideratio. Est talis ille quidem; talis scientia est scientia philosophiam iniens; propterea quod talis est, scire cupit. Talem vero esse, alius scit, qui de illo meditatus est, vel etiam ipse, quatenus idem alius est quam merus inceptor. Quoad simpliciter incipit, nondum eo devenit, ut conscientiam suam, qualis initio est, cogitationi suae subjiciat, sed nihil nisi simpliciter scire cupit.

Protinus Hegelius: ut ab hac purae scientiae definitione profectum initium disciplinae immaneat, nihil, ait, nisi id considerandum, vel potius, omnibus rationibus omnibusque ceteris opinionibus dimissis, id tantummodo sumendum esse, quod existat. His scilicet designat id, quod praeceptor a discipulo, discipulus a se postulare debet. Nihil exstat, quod tiro sumat, unde progressus fidei veritatem experiri et comprobare possit, nisi id quod in ipsa ejus pura quaestione et expectatione ipsaque sciendi voluntate jacet. Alia aliunde si peteret, rursus seque remque sejuncta et sibi invicem aliena sciret, et de veritate, utra in parte inesset, ambigeret. Patet autem, ne hanc quidem considerationem scientiae ineuntis esse, quae vult id, quod faciendum esse dictum est, facere.

Quid vero facit Hegelius? Puram scientiam ait, in concretam unitatem redactam, ab omni relatione et cohaerentia aliorum aversam esse; indifferens esse; itaque ipsam desinere esse scientiam; adesse tantum simplicitatem, einfache Unmittelbarkeit. Eam vocem et ipsam rationis esse et ad contrarium referri. Ergo vera voce *Esse* appellari. Quid igitur facit? Sane quidem sumit quod existit, nec vero id quod ineunti purae scientiae, sed quod ipsi hanc aggresso existit. Puram scientiam contemplatus reperit, affirmat, vult, ait, statuit judicatque, purum scire esse purum esse. Quid autem tironibus cum iis, quae aliquis, quamvis sapientissimus, de pura scientia vel alia qualicunque re judicaverit aut statuerit? Quando simpliciter scire volumus, vel quando pura scientia incipit, quamquam ea, quippe quae rem in se ipsa contineat, non potest sese non respicere, tamen quaeri nondum potest, quid pura scientia sit; quaeritur enim simpliciter; et, quando extrinsecus ea quaestio incidit, nequit aut esse aut aliud quid responderi; namque pura scientia (v. Log, I, p. 62) initio, re

ipsa nondum proposita, vox inanis aut anticipata et incerta cogitatio est, unde nulla determinatio, nullum certum argumentum initii potest provenire.

Neque vero Hegelius opinatur, eo, quod confirmatum sit puram scientiam non esse scientiam, sed in esse converti, discipulum ad istud concedendum posse adduci. Quid igitur proficit ista demonstratione? Revera Esse ab eo ex decreto promulgatur. Illud „ergo“, quo vocabuli „esse“ veritatem tueri conatur, vox inanis est. In secunda logicae praefatione (p. 20, 21) quum philosophiae prae ceteris artibus penitus plastica opera efficiendi facultatem tribuat, ex ea facultate hoc postulari dicit, ne quidquam in ullo gradu constituatur ac definiatur, quin ipso quoque gradu sequatur atque e proximo in proximum transmigraverit. Inde orationem ab initio, ut quod in simplicissimo et maxime vacuo et universali versetur, nihil nisi ipsa simplicissima simplicissimorum nomina, ne singulis quidem verbis adjectis, pati. Haec adeo sunt mira et nova, ut serio dicta creditu difficile sit. Praeterquam quod dubium est, qui gradus istius parsimoniae terminus constitui possit, certe artis haec via nullo modo existimari poterit, qua intelligentia taciturnitate obruta erit. Quod porro addit Hegelius, rem negativis modo rationibus locum dare, quibus prohibeantur et amoveantur, quaecunque imaginatione et inculta cogitatione immisceri possint, id quidem concedendum est, aliena negari oportere. Sed quidni res ipsa quam maxime ponendi rationes admiseric, ut quae ponenda atque talis futura est, qualis posita fuerit. — Imo in arte philosophandi quibusnam aliis ad rem proponendam et statuendam melius usus eris rationibus et instrumentis? Attigit hanc rem et ipse Hegelius in praefatione phaenomenologiae. Qui quum alibi liberali cum modestia methodi suae nondum ab omni parte perfectae sese conscium confiteatur, mirari licet, quod

initio disciplinae discipulos nullos nisi immodestos et arrogantes novisse videtur. Contra tot illius vituperationes licebit verecunde admonuisse, magistrum artificem, rebus difficillimis methodi ope parem, eadem methodo, quae, ut totum discatur et doceatur, eadem ab initio usque ad finem erit, simplicissimum quoque et facillimum initium docere posse oportuisse.

Est alia ratio maxime Hegelianis accepta, qua Hegelius tuum tibi tribuere studet, eaque aptior quidem auditu, nec tamen magis prospera, et quae ad eandem vim redeat. Postulat cogitare velis. Id quod nos fecimus.

Quidquid enim unusquisque nostrum de iis, quae hactenus disputavimus, judicaverit, quod Hegelius in memoriam revocat, cogitare id esse, quo homines a beluis differant, id a nobis factum esse et fieri lector homo ipso legendo confirmat; et voluit cogitare, et vult voletque, quoad legere perget. Sed et plus postulant, et plus fecimus. Postulat Hegelius, ut pure cogitare velimus, ut mentem ab omnibus rebus libere abstrahamus eamque abstractionem et cogitationis simplicitatem comprehendamus; postulat hanc liberam actionem, qua cogitatio in eo loco se collocet, quo secum sit suamque ipsa sibi rem gignat et suppeditet. — Cogita! ait Erdmannus (*Grundr. der Logik u. Metaph.* §. 24. 26.), compara materiem, quam cogitationis disciplina requirit, simul generalia efficiendo et omnes res objectas abjiciendo, quae cogitationi relationem inferrent nec puram esse sinerent. Cogitato! apud Kunonem Fischerum logica hominem jubet (*Log. u. Met.* §. 26. 25.); esto conscientia tui pura ab omnibus sensibus, notionibus, opinionibus fortuitis, ut necessaria producas; per puram cogitationem abstractionis vi creatam ex singulo, ut es, in naturam simpliciter universam sive in ipsius rationis facultatem te ipsum convertito. — Rosenkranzius quo-

que (Wissensch. der log. Idee I, p. 114) cogitandi voluntatem affert; sumit, cogitationem, cui nulla res, nec ipsa rei objecta sit, se ipsam determinare; vult eandem ab omnibus terminis se liberare, quibus non ipsa se circumscribere possit, nec quidquam positum nisi se ipsam habere.

Haec omnia igitur initio a nobis capto peracta sunt. — Lector consilium cepit haecce aggrediendi, hanc dissertationem cognoscendi. Auctore scriptore convenit in hanc conditionem, ut in eo consilio permaneretur. Ergo ad ea, quae ventura sunt, sic habemus, ut expectemus, ut scire cupiamus, quidve hic negotii futurum sit, quaeramus. In quaerendo autem et expectando et scire cupiendo cogitamus; cogitatio nostra in ea ipsa quaestione sive expectatione sive voluntate locata est. Qua in re liber es; si nonvis, abire licet; quis aut quid te haec sciscitari cogit? Pura cogitatio est et simplex: nam non illa et illa quaerimus, non alia et alia scire volumus, sed quaerimus ac scire cupimus simpliciter. Omnes res objectas abjecimus et ab iis mentem abstraximus; nam quid ejus generis, tam ex iis quae post terga quam quae ante nos jacent, obijci nobis possit, quo attrahamur, quum in puram quaestionem et speculationem cogitatio nostra se conjecerit et quasi contraxerit? Secum sola versatur ea cogitatio, quia non quaeritur aliud quidquam, sed quaeritur, ipsum ex ipso. Ipsa quaestio se determinat, quatenus quaesitum respondetur. Circumscribitur et quaestio quaesito, et quaesitum quaestione. Nihil sumtum quaestio nec positum habet, nisi se ipsam, quia responsio ponenda in ipsa inest. Quaerendo cogitatio ipsa sibi rem et argumentum gignit et suppeditat; quaestione enim quaeritur id de quo quaeritur. Quaestio ipsa materiem disciplinae comparat, siquidem materics est id quod quaeritur. Quaerere est universe cogitare, quaesitum

est universale. Non singularis aliqua quaestio proposita est, sed universe quaestio est. Atque sicut unusquisque nobiscum una hanc quaestionem instituere potest, ita in omni singulari quaestione unum idemque, simplex quaestio, inest. Sponte fit quaestio universa, neque nos illam tamquam aliquid proprii facimus. Sane quidem et nos facimus, sed in naturam universalem conversi. Quidquid enim singulos disjungit ac secludit, quaestio pura nos a principio copulat et consociat; quidquid praeterea sumus, quaerendo unus idemque sumus. Denique si sanae rationis censes quaerere, ut quid rei sit intelligas, quaerendi facultate usi ipsius rationis vice fungimur.

At vero pure cogitandi consilium secundum illos philosophiae doctores captum ne pure exsequamur, pureque cogitatum pure eloquamur et exprimamus, ab iisdem, quoad eos respicimus ac sequimur, impedimur. Recusant illi quidem, quod a nobis postulant, facere, ut in aequum locum degressi puram cogitationem a primo aditu nobiscum exerceant; sed ex superiore quodam loco de pura cogitatione cogitant ac verba faciunt, contenduntque et probare conantur, primam purae cogitationis speciem, primam notionem vel categoriam vocari *Esse*. Quarum rerum tiro aut nihil audit, aut, si audit, et ipse jure interfatur.

Exstat, ut dicit Hegelius (*Log. I, p. 59*), consilium modo cogitationis considerandae. Itaque initium necesse est absolutum sive, quod hoc loco idem valet, abstractum sit; nihil ponat, nulla ex re pendeat, nec fundamentum ullum habeat, ipsum potius omnis disciplinae fundamentum futurum. Ergo necesse est simpliciter sive primum, sive proximum, sive absolutum aliquod — ein Unmittelbares —, vel potius ipsum hoc sit — das Unmittelbare selbst. Ut nullum finem adversus alia, sic nihil in sese continere potest; quod si ita se

haberet, discernerentur aliud et aliud inter se relata et conjuncta; id quod esset Vermittelung. Ergo initium est purum Esse — Et alibi (Encycl. §. 86.): purum Esse initium facit, quia tam pura cogitatio quam ipsum simplex indefinitum est, compositum autem ac definitum primum initium esse nequit.

Concedere debemus, initium esse abstractum, sine praemissis, sine medio, sine causa et definitione; neque infitiamur, hoc Esse cogitationis esse. Sed non est primum, non est ab initio cogitandum, quandoquidem aliquis tironis initium esse vult. Ut inceptor cogitare incipiat, praeceptoris est non loqui tantum, sed incipere cogitare cum illo. Sed Hegelius nihil nisi illi dicit, initium tale esse oportere, deinde initium simpliciter vocat Esse. Discipulus sic temere idem effari jubetur. Illud „ergo“ autem, quo Esse cogitando adjungitur, nihil valet nisi quod aliquis hac de re agere vult. Quam voluntatem simpliciter significasse satis erat.

Purae cogitationis istud initium esse non posse Erdmannus sensit. (Grundr. §. 25.) Quod aliquid nesciat, quomodo se gerat, ut cogitet postulatumque efficiat, ei malo ita occurri posse, ut efficiendo quasi praeceatur. Cur enim quasi? Non quasi, sed vere atque ita, ut ille sequi possit, praeire praeceptoris esse videtur; alioquin non vere, sed quasi initium fit. Nec praeit Erdmannus. Indicat quod fieri vult. Aut, quandoquidem indicando praeit, quasi cogitat. Primum, ait (ibid. §. 29.), pure cogitandi voluntate cogitatio (categoria) sine discrimine ad se rediens procreata est. Huic igitur, quod absque alio est neque ullo discrimine tactum, aptius quod nomen imponamus nullum habemus quam hoc, Esse. His verbis, praeterquam quod cogitatio sive categoria haud dubie his ipsis nominibus aptissime appellatur, satis aperte dictum est, caput rei nomen esse. Difficulter, imo nullo pacto fieri vult, ut

ipsum Esse capiatur, quod in eo non insint, quae concipias (ibid. et not. 2.). Quid ergo? Nihil reliquum est praeter id quod Erdmannus praeit, nomen et vocabulum sic profari: — Esse —. Quodvis aliud vocabulum, quivis pannus de velamine purae cogitationi detracto talem ad usum aequae foret.

Refert Fischerus (Log. u. Met. §. 28.), ex abstractionis actu primum hoc tantum sequi, cogitationem esse. Cogitatio est; quid sit, ait, liberae expositionis progressu apparebit. Jam in eo est, ut exponatur, sed nondum in ipsa expositione est. Ideo cogitatio, ut in principio, haud melius se ipsam concipere potest quam se esse; tantum dicere potest: ego sum. Ergo cogitatio a principio declarat: ego sum esse. — Quam levi opera istic videmus cogitationem mancam et mutilam sanari! Talis enim apparet in enunciatione illa: cogitationem esse; si quidem verbum esse neque exstandi, nec τοῦ ὄντος εἶναι, sed copulae vim habet. Sanatur autem vitiumque in virtutem mutatur adhibitis verbis ideo, ergo, aliter non potest.

Sumamus, ait Rosenkranzius (l. l. p. 111), cogitationem, cui nulla res, nec ipsa rei objecta sit, se ipsam determinare; esse prima notio est, quam a se ipsam discernendo efficiat, sive, ut alibi (ibid. p. 108) dicit, quam cogitatio primam et principalem suam definitionem in sese reperiatur. Nihil adversamur, quin Esse propria cogitandi definitio eique innatum sit. Neque opinamur, quod opinione captis exprobrat, essentiam extra cogitationem quaerendam esse. Nec magis, quod etiam monet, in essentiae notione plus ipsa quaerere in animo est. Nec non concedimus (vid. ibid. p. 118) primam notionem oportere simplicissimam esse, quam maxime vacuam, quam amplissimam, cui quamvis aliam, plus illa complexam, necessario esse secundam. Negamus tamen hanc esse notionem eam, quam primam

cogitatio in se reperiat Non descendimus in certamen, cuius Rosenkranzius facultatem facere videtur dicens: experiatur aliquis aliam quam essentiae notionem primo loco ponere; brevi cuique plus inesse cognoverit. Nam neque aliquot exempla tentasse ad persuasionem satis, et omnia perlustrare longum foret. Quo in loco systematicis haec notio collocanda sit, videbimus, quando consilium pure cogitandi exsequi perrexerimus; quod negotium viri docti, quos consulimus, disputationibus de initio instituendis perdunt.

Non quo hac de re disputationes omnino reprobare velimus. Primum enim et ipsi instituimus. Deinde vero de philosophiae initio philosopha ratione disputandum erit, quando ad hujus notionis locum deventum erit. Denique et praefari et oratione degredi antiquitus homines consueverunt. Sed quidquid de initio praeceperis, manet tamen, quod discipulus postulat, ut tandem aliquando rem secum incipias. Si exploratum tibi est, philosophiam in cogitatione pura versari, age cogitare pure incipe. Si cogitationem vis ipsam sibi rem gignere ac suppeditare, si hominem in ipsam rationem universalem converti, age rem cogitando gigne, procrea, praebe, suppedita; age prodi divina illa specie indutus. Si cum Reiffio philosophiae initium in purae distinctionis actu ponis, perpetra hunc ipsum actum. Fecisse, quod opus est, satis erit ad disciplinam ineundam, loqui autem de his rebus, antequam inieris, supervacaneum: ignoras enim discipulum, si cum eo, qui nihil scit, velut si ista intelligat, agis.

Hegelius quidem, si quaedam ab eo dicta respicimus, illam incipiendi *ἐνέργειαν* spectasse videtur. Quamquam non aliter se gerere sciebat nisi ita, ut nomina statueret, non cogitaret; nec doceret, sed imperaret. Alii vero usque eo difficultate rei vexati sunt, ut ipsum daemonem consecraverint. Hinrichs, quamvis ingressum

philosophiae ita instituendum censeat, ut, sine anticipatione philosophiae, ipse ingressus sese ut necessarium in illam inducat (quibus verbis quamvis monstruosis aliquis veritatis sensus inesse videtur), tamen paullo infra dicit ingressum philosophice tractandum esse atque in eo demonstrandum, qualis vera ejus natura, quaeque ipsius ad philosophiae summam ratio sit. (v. Grundlinien der Phil. der Logik p. 1.) Hujus quidem, quantopere secum ista pugnent, nihil interest, dummodo jus praefationum sanciat.

Ceterum consilii nostri non est ea omnia recensere, quae ad impediendum philosophiae aditum a philosophis perscripta sunt. Impeditur autem aditus ab omnibus iis, qui, quum docere sive disciplinam tradere se profiteantur, discipulum ignorant. Qui quum sit is, quem initium facere deceat, hunc si recte respicimus, impedimenta per se cadent.

III.

Quod initio communi animo facere constituimus, id consilium est initii, quod subjectivum vocat Rosenkranzius. Tales in medium procedimus, ut dicas nos cultu atque educatione ad pure cogitandi desiderium, facultatem, voluntatem progressos esse. (Encheiridion §. 11.) Nam et ii, qui aliam rem vel artem vel disciplinam aggrediuntur, de sua quisque re quaerunt et cogitare incipiunt, ut mathematici de spatio, ut herbarii de plantis, ut ethici de moribus. Nos vero, quibus nulla res nisi ipsa quaestio proposita sit, simpliciter quaerere et pure cogitare incepimus. Quod si hoc fecimus, facere non poteramus, nisi facultas inerat; neque aut inesset facultas, aut velle unquam in mentem venisset, nisi natura hoc ipsum desiderasset. Unum modo nobis vindicare nolumus, usum et consuetudinem

cogitandi, quam Rosenkranzius proxime ad illa postulata adjecit (Wiss d. log. Id. I, p. 112). Patet enim hanc non incuntibus exsistere posse, sed progressis paulatim obtingere; ut et ipse alibi dicit philosophiam non nisi philosophia disci.

Distinguit autem Rosenkranzius ab hoc subjectivo initium objectivum sive primam systematis philosophiae notionem; deinde initium absolutum sive notionem principii realis omnium rerum, quae notio apud Hegelium sit mentis absolutae, personae divinae. — Quae distinguenda sunt, eadem puto esse committenda. In subjectivo initio quum constiterimus, facturi sumus initium objectivum, sive inituri sumus absolute. Quid tria illa distinguit Rosenkranzius, qui nec primo nec tertio uti velit, quorum hercle neutrum nomine suo dignum est nisi conjunctim cum secundo? Nobis quidem non subjectivum, non objectivum, sed absolutum initium agitur, quamquam non inter theologos sumus ab illo reprehensos, qui omnia cum deo agere assueti philosophiam quoque a dei notione incipere velint. Absoluti autem nomen et ipso Hegelio auctore initio philosophiae tribuimus. Quo nomine ita se nostrum initium dignum praestabit, ut ipsius subjectivi vi ac virtute initium objectivum proveniat. —

In eo est ut doceamus, qui iidem in eo est, ut discamus. Non scriptor est praeceptor, non lector discipulus. Sed pro se quisque praeceptor idem ac discipulus est, atque in sese intento animo, ut puram quaestionem responsum purum subsequatur, locum in semetipso parat rei, unde vera exoriatur *αὐτοδίδαξις*, ipsaque res, *αὐτὸ τὸ πρᾶγμα*, sese doceat.

Sed ne forte moleste ferat lector benevolus, quod postulatur, ut pro discipulo, quamquam sui ipsius, et pro tirone se gerat, diversa ratione hanc rem aggredi licet. Solus ero discipulus. Lectorum omnis doctrina

erit. Eorum erit iudicium, num repererim, quod ipsi tenentes scientia gaudent. —

Ergo quaeritur nobis id quod illi sciunt. Adhuc nescio, sed scire cupio. Opus aggredior et quaero, ut inveniam; speculor, ut explorem et cognoscam; id ago, ut appareat et manifestum fiat. Spectare volo, non corporis, sed mentis et rationis oculis; comprehendere volo, non manibus, sed quasi membris et instrumentis cogitationis.

Quum quaerendi et investigandi negotium suscepturus sim, non ideo in me valet illud quod Hegelius in Reinholdio reprehendit (Log. I, p. 59 — 62). Non ita de philosophando sentimus, ut primo quaeratur tantum, non sic, ut initium capiatur a veritate aliqua hypothetica vel problematica, ab aliquo precario vel ad libidinem posito et accepto, unde recte rem profectam esse postea appareat. Sane quidem philosophia, si modo philosophabimur, quaestio nobis erit, nec tamen primo tantum, sed semper, eademque et quaestio et quaestus erit. Itaque fructus, ut quaestione perpetua perpetuo percipiendus, nunquam ad tempus tantum perceptus erit. Adhuc autem nullus omnino fructus nobis provenit, quum ultra voluntatem nondum progressi simus. Sed ego nimirum, an futurum sit, ut viribus defectus cadam, incertum sit. Id certe nihil impedit, quin impigre opus aggrediamur. Quaerite et invenite, ait scriptura sacra.

Quod igitur dixi, velle me quaerere et cognoscere illud, quod adhuc nescire confitebar, si non vana sunt verba, sed ex vera sententia dicta, si quaerere vere coepi, necesse est, nisi fallor, quaesitum inveniri et incognitum aperiri jam nunc coeptum esse. Etiam ut doceri ac disci possit, non ita nos habere possumus, ut prorsus nihil nobis sit, sed, ut Aristoteles dicit (Anal. post. II, 1.), *πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις*

διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως, et (ibid. sub finem): οὐδὲν κωλύει, ὃ μανθάνει τις, ἔστιν ὡς ἐπίσταςθαι, ἔστι δ' ὡς ἀγνοεῖν. Et revera, quantum ego video, incepit illud apparere et jacet, quale jacere initio potest. Qui aures habet ad audiendum, audiat, qui oculos ad videndum, videat.

Quid? an vere non sit, quod videri audirive possit? vere nihil jaceat? At tamen agitur, ergo est id quod agitur. Quaeritur, ergo quod quaeritur est. Sub specula speculativum est. Quod nisi jaceret, quomodo ista fieri possent?

Quod ad visum auditumque attinet, primum quidem habes effata et scripta, unde legas illud et intelligas. Deinde recte dici potest, nec audiri posse nec conspici sensibus his corporalibus. Auribus oculisque, ut ait Hegelius, oportet captum esse, quisquis ad philosophiae aditum accedit. Quippe mentis et cogitationis ope investigandum et speculandum est. *Ἡ γὰρ ἀχώματός τε καὶ ἀσημάτιστος καὶ ἀναφῆς οὐσία ὄντως οὐσα ψυχῆς κυβερνήτῃ μόνῳ θεατῇ νῦν χρῆται*, ut ait Plato (Phaedr. p. 247, c.). Initur cogitandi negotium, incipitur cogitari, ergo est cogitatio vel cogitatum. Quamquam recte Hegelius: nihil in eo cogitandum; nobis quidem non voci nihil, ut ille, sed verbis in eo majorem vim tribuentibus. Sed mens nostra et cogitatio in eo est, ut ipsum concipiat; cogitatur, itaque est atque existit in cogitatione nostra.

Cogitatio et omnis mentis actus quum rem sibi objectam poscere videatur, quod nobis quaeritur, sicuti jam initio jacet vel animo obversatur, sane non id est, quod proprie objectum cogitationi possit dici, propterea quod nondum a cogitatione distinctum nec ab ea secretum apparuit, sed ea tantum res est, quam cogitatio in se et per se ipsa sibi dedit, quaeque ipsa est cogitatio in rem conversa. Quantam haec commendationem

afferant huic initio primoque effectui speculationis, facile visu est. Etenim quum postulent, ut ineunte disciplina res omnes objectas cogitatio rejiciat, non puto opus erit ex iis, quae in manibus sunt, libris locos colligere, unde postulatum illud non ita intelligi pateat, ut res radicitus extracta et sublata et omnino nulla sit, sed sic potius, ut sit res intimae cogitationis vi in ipsa cogitatione absolute posita.

Quin id, quod scire desideramus, ipsa simplici quaestione vere propositum jacere coeperit, ea dubitatio hanc quoque speciem sumere potest, ut nominis aliquem cura sollicitet. Videtur ea cura esse legitima. Nomen enim et vocabulum cogitationis interpret. Nominibus cogitamus, ut dicit Hegelius. Et imprimis philosophum dixit aliquis licere in verbo deprehendere, atque tum demum quamvis notionem satis comprehendere, quum propriam vocem nactus sis. Ea vero non hominis cura, sed linguae vivae est, vel, si quidem hominis, eatenus tantum, qua vivi sermonis homo parens est. Philosophantis est cogitare; quod ubi impigre fit, vox invocata praesto adest. Lingua latina, ut mortua est facticiamque modo et simulatam accipit animam, eo quem nunc tractamus loco nos deserit. Quum simpliciter quaeratur et cogitetur, ipsum cogitatum et quaesitum mutum est subjectum in verbis cogitandi et quaerendi haerens. Haec vero quaesiti, cogitati, similium vocabula relationis sunt et, ut cum Hegelio loquamur, reflexionis; referunt enim et quasi reflectuntur ad nostram cogitationem, nostram inceptionem, quae res hujus quaestionis hactenus certe non sunt. Est autem proprium vocabulum apud alias nationes, ut Germanos, Anglos; quod ex verbis latinis, ubi quaeritur et cogitatur, eximere, si libet, licet.

Concedimus, hoc nomen minus honeste sonare quam illud, cui primum honorem Hegelius tribuit. Sed spe-

ramus, fore, ut melius illud nostro non usurpetur, sed acquiratur. Vilissimum hoc nomen est, quia commune omnibus est; quaeque res, qualiscunque alioquin est, hoc audit. Ipsi autem, ubicunque sonat, hoc ipsum optimum nomen est, quia nihil de eo dicit nisi id quod ipsum est. — Et nomine caret, et quaevis nomina accipit, *ἀνόνημον* est et *πολυώνημον*. — Vacua et inanis vox est, quae ipsa nondum vocem ullam edidit, verbum inane, de quo verba facimus.

Huic igitur, ut est, commendationi potest esse appellatio Hegelii, qui summi in philosophia momenti aestimat veritatem sub specie subjecti concipi. Ad haec si concedis, summae totius *χαρακτῆρα* et vestigia in primo statim et simplicissimo initio extremaque superficie expressa esse, habes subjectum quam simplicissimum, quod idem subjectum non est sive ut tale nondum propositum est. Est enim subjectum attributionibus carens, per solam attributionum inopiam attributo praeditus, hoc est, suum ipsius attributum. Est — non aliud quidquam, sed ipsum tantum subjectum.

Subjectum est quiescens, nihil agens. Quae homines illi attribuunt, quum dicunt: pluit, grandinat, tonat, alia ejus generis; quibus etiam majora addunt Germani: es gibt Menschen, Thiere, quin etiam: es gibt einen Gott; quo id jure faciant, hoc loco non curamus. Nostro ex usu hoc unum fecit: apparuit. Quae actio (siquidem apparere est quodammodo agere) quamquam est ea, quam volumus et exspectavimus, tamen non est, quod eam celebremus et extollamus. Se ipsa enim illico tollit, quandoquidem sic agens, dum agere coepit, egit et in se recidit, et, quod actione proficit, idem est atque id quod ante actionem initam suppetebat, ipsum subjectum.

Qui unitate subjecti et objecti veritatem vel ideam consummari volunt, hic etiam tenue ejus rei vestigium

invenire possunt. Non illud quidem latine, quod ego sciam, expressum, sed apud Germanos complura exstant huc pertinentia, ut: es fragt sich, es zeigt sich, es versteht sich, es begreift sich. In his idem est, unde quaestio, demonstratio, conceptio proficiscuntur, idem quo revertuntur et reflectuntur. Haec autem appellanti et lectorum benevolentiam captantibus si quis nobis forte objurgat, quod verbis ludamus et rationes allatae ad grammaticam pertineant; ludus quidem est; modo non noster, sed linguae ipsius, quae est cogitatio universalis, cujus forma grammatica est forma universalis.

Nec non, si absolutam dei personam omnis philosophiae finem esse statuimus, primo initio eam adumbratam videmus; est enim illud grammaticorum persona tertia. Quamquam si idem generis neutrius esse ac verbis impersonalibus subjici meminimus, licet nimirum timere, dum nos ad absolutam personam illumque speramus esse perventuros, in quo, ut dictum est, vivimus et versamur et sumus, ne ad umbrarum et larvarum regionem deferamur, ubi et ipsum illud versari Germanorum lingua confirmat. —

Veterum quoque auxilium invocabimus? Quoniam igitur quaestio nobis agitur: *μόνον δὲ, ut apud Platonem legimus, τὸ αὐτὸ κινεῖν, ὡς οὐκ ἀπολείπον ἑαυτὸ, οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. ἀρχὴ δὲ ἀγέννητον. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γινόμενον γίνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἐνός. εἰ γὰρ ἔκ τινος ἀρχῆς γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπειδὴ δὲ ἀγέννητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης, οὔτε αὐτὴ ποτ' ἔκ τινος, οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται· εἴτερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίνεσθαι. οὕτω δὲ κινήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ κινεῖν.* (Phaedr. 245.) De immortali ac divina anima Platoni agitur; nobis de

eo quod simpliciter quaeritur et agitur. In hoc illa quomodo valeant, ex iis, quae supra dicta sunt, satis patet.

Hegelius, Parmenidem eum esse arbitratus, qui primus puris notionibus philosophatus sit, hujus testimonio ad suum initium confirmandum usus est. Nihil obstat, quin idem faciamus. *Χρή σε λέγειν τε νοεῖν τ' ἔδν ἔμμεναι. Τὸ ὄν, si recte intelligo, primum et ultimum facit. Οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος, ἐν ᾧ πεφασισμένον ἐστίν, εὐρήσεις τὸ νοεῖν· οὐδὲν γὰρ ἢ ἔστιν ἢ ἔσται ἄλλο παρ᾽ ἐξ τοῦ ἐόντος.* Quid est illud, quod nobis initium est propositum? Est — id quod est, hoc est: τὸ ὄν. — Sed ad propositum redeamus.

IV.

Quod illi, qui scientia gaudent, sciunt, quoniam equidem ignoro ipsumque mihi incognitum, indeterminatum, inexplicatum est, primo sic in universum ante oculos jacet, ut nihil amplius sit quam id quod est. Jam verò quaeritur, quid inde proveniat, quid definitionis sibi vindicet, quid de se doceat, quid de se statuere ipsum me cogat, quum initio nihil nisi ipsum sit, quid ex eo effici possit, et, brevissime ut dicam: propositum est; quaeritur: quid?

Hanc quaestionem si meminimus esse admirationis, quam sapientiae matrem vocarunt veteres, videamus, quid nobis sapientiae pepererit. Quod etsi forsitan haud multum erit, at aliquid tamen non deerit.

Aliquid est proximum, quod ad respondendum existit, si quaeritur, quid. — Existere autem proxime ut arguatur, non circumspiciendum nobis, neque argumenta alia ex parte mundi repetenda sunt, in animadversionibus et experimentis vel factis vel faciundis sita, ut si quis homines in luna existere contenderet. In

hoc enim mundo nostro, cujus in exstructione versamur, primo progressu animadvertimus atque experimur aliquid existere. Quocunque modo quaesiti quaestionem conformaveris, „quidditatem“ quaestio ipsa semper reddiderit. Admiratione ipsum illud sine ambagibus scitur esse aliquid. Quaerenti, quid, per se intelligitur aliquid. Ergo in pura quaestione ac speculatione ipsum illud simpliciter quaesitum sequitur *Aliquid*.

Quum initium indeterminatum sit, ut determinetur, dicendum est, quid sit. Quod, quid sit, ignotum est. in eo determinationis absentia apparet. Quoad igitur cetera in occulto restant, ne quid in quaestionem extrinsecus inferatur, neve quidquam accipiatur nisi quod ipso quaesito proferatur, sic tantummodo determinari potest, ut absentia determinationis ipsa ejus determinationem, egentissima paupertas omnes ejus opes efficiat. Efficit illi, ut Rosenkranzius ait, attributorum absentia attributum. Sed quomodo efficit? Non ita, ut nos efficiamus, attributum illius esse attributorum absentiam (quae scilicet potest non esse vocari, neque vero in universum, sed non attributum esse), sed absentia attributorum, alia ab illo propulsans, ex ipso ei attributum facit. Illud est illud; itaque subjectum est, cujus illud attributum est, hoc est aliquid. *Aliquid* enim est id quod est, hoc est, aliquid est illud, nec quidquam ultra.

Sibi aequale cum Hegelio dictum initium a se uno differre potest. Habemus igitur primum ipsum, deinde ipsum iterum, ut est aliquid illi aequale. Hoc autem illi aequale est ipsum: ergo aliquid est id quod ipsum se distinguendo de se fecit.

Hoc igitur purum *Aliquid* id est, quod persona illa impersonalis, pura cogitatio, pura res proxime agit et facit, in quod se convertit et transit, siquidem quaeritur et agitur. *Aliquid* est illud, proprie positum, id

quod ipsum re et veritate est. Res autem et veritas est hoc, id agi, nec quidquam aliud.

Nec tamen peracta res, nec summa veritas est aliquid. Licet homines aliqua re contenti sint, in eo constari nequit, nec constat. Id quidem nobis constat, quod ipsum sit, esse aliquid; sed quatenus nullo alio intercedente aliquid sibi vindicat, eatenus sibi, ut est aliquid, aliud deesse significat. Quum quaeratur, quid, revera aliud quid requirit quam, quod per se intelligitur, ipsum aliquid. Ad hoc aliud nullo alio opus est praeter ipsum; procedente quaestione procedit ipsum aliud. Quaeritur ultra aliquid, quandoquidem aliquid per se intelligitur; itaque hoc ulterius quoque per se intelligitur proxime responderi ad quaestionem alius.

Aliud, quod est aliud, est pure quaesitum, pure cogitatum, ut simpliciter porro editum; simplex in indefinito progressus, vel ipsum indefinitum progressum et transgressum. Est aliquid, ergo aliud. Transgressum quidem est id quod quaeritur, eo ipso, quod est aliquid. Inane ut initio apparet, ea ipsa inanitate definitum est, desiit igitur solum illud inane esse et immutavit se in aliquid, cui aliud inest, immutatione nondum plane manifesta. — Ut sibi aequale ipsum est id quod illi aequale est, h. e. aliquid; sic se ipsum a se discriminavit, quod discrimen simul positum, simul sublatum est et abiit. Aliquid, sicut illud, est simplex sibi aequalitas, perfecta inanitas, definitionis et rerum absentia, indifferentia in sese. Itaque aliquid idem est atque initium. Sed revera simul non est idem. Quod exstat, non est illud, neque aliquid (sequimur ea quae Hegelius habet ad notionem evadendi, ut proxime ea quae ad nihilum), — sed illud, quod in aliquid, eoque iterum in illud — non transit, — sed transiit. Sic transgressum una ipsum et aliquid est, agendi effectus, qua actione ipsum, quod est aliquid, abiit in aliud (unde

enim efficiatur, quod Hegelius inducit, contrarium?). Peractus hic actus (transgressum enim est, ut et ipse Hegelius vult) ipsum est aliud; „actus, in quo duo illa sunt discriminata, discrimine tamen in ipso actu dissoluto.“

Quandoquidem igitur pura quaestione et cogitatione ad aliquid perventum est, vix dicere opus est, non hic aliquid atque aliquid sic proponi, ut si quis domum et arborem, duas res singulares et alteram juxta alteram sitas conspiciat. Ejus generis res, quarum alicujus animum cogitatio subire potuerit, hoc loco minime aguntur, sed illud — aliquid — aliud — nihil amplius; nihil nisi id quod simplicibus his vocabulis nominibusve dicitur. — Majoris autem momenti hoc est. Sane quidem nos id quod quaeritur quaerentes momenta ejus, quod cognoscimus, aliud extra aliud ponere cogimur; exponimus enim illud; sive ipsum (quatenus nihil quaerimus nisi quod omnino quaeritur) exponit se, ipsum momenta sua aliud secundum aliud proponit. Sed in eo loci et ordinis discrimine non est permanendum; nam quod exponitur, quamquam digressum, illud ipsum tantum est, id quod permanet. Quare, ubi jam constitit quaestio, non exstat aliquid, et praeterea aliud, non duo vel tria diversa, sed exstantibus illis unum exstat, aliquid, nec quidquam amplius. — Hactenus sic cucurrit quaestio. Quaeritur; ergo ipsum quaesitum quaestionis initium. Quaeritur vero: quid? Ergo aliquid. Illud negatum et sublatum pure aliquid est. Simul autem ipsum, qua aliquid, et sublatum et conservatum est; in aliquid enim ipsum transiit. Ergo quaeri pergitur, non modo quid simpliciter, sed quid aliquid ultra? quid aliquid aliud? Ergo aliud. Aliquid igitur, qua tale est, negatum est; jam quaeritur et agitur aliud.

Aliud est aliud; nihil amplius. Hoc aliud, quod pure ac simpliciter id ipsum est, et ipsum sibi tantum aequale, neque inaequale cum aliis, nec varietatem in sese, neque ullam extrinsecus habet discrepantiam. Aliam rem, qua aliud ipsum sumatur, nullam habemus. Qua discernendum est, ipsum ab ipso. Dicas discrimen in indiscreto, discrimen inane, quod idem nullum est et in se recidit. Est indefinitum, quod progressum et immutatum idem, quod initio, est. „Sic discrimen tollere“, ut est apud Hegelium, „majus est quam mere retractare et temere omittere simpliciterve ad simplex initium reverti. Discrimen non est omittendum, namque est.“ Est enim in pura quaestione, qua fit ac ponitur. „Quod ergo vere exstat“, id est quod quaeritur, et „discrimen ejus et sublato discrimen.“ Ipsum „non indifferens, ut initio, sed rursus sibi aequale, sublato discrimine, ipsiusque simplicitas per illam sublacionem composita.“ (vid. H. Log. I, p. 113.) Ergo rursus aliud factum et in aliam speciem transgressum est. Quale igitur aliud?

Illud, quod agitur, est id quod est sive quod esse apparuit, quandoquidem aliquid, eoque simul aliud est. Est (iterum in his partim Hegelii verbis utimur, quae sunt Log. I, p. 102, licet abusus accusemur,) inseparatum aliquid aliudque; non unitas, cui abjecta aliquid et aliud; sic merum initium foret et frustra hactenus actum; sed aliquid atque aliud quum sit, hoc unum est, in quo et aliquid et aliud est. Sed quum aliquid et aliud inseparata sint, utrumque non est. Sunt igitur in ea unitate, sed evanescentia, tantum sublata. Primo singula per se cogitata recidunt ad momentorum rationem, discretorum quidem, sed sublatorum.

Secundum hanc differentiam utrumque in eadem est cum altero unum. Sunt igitur proxime unitates duae, quarum utraque et ortus et interitus alterius est. Momenta in iis impari honore sunt, quia aliquid et aliud

discernuntur. Sic transeuntes altera in alteram hae unitates ei rationi respondent, quae intercedit inter aliquid et aliud; quamobrem cadunt in tertiam unitatem, primam inaequalitatis exaequationem. Quae tertia locum ab Hegelio sublatae evadendi notioni datum capit.

In harum unitatum prima igitur aliud est ut primum; prima unitas exit ab alio, idque, ut est ipsum, transit in aliquid; hoc est unum. — In altera unitate aliquid ut primum est; exit haec ab aliquo, quod in aliud transit; hoc est multum. — Sed ambigue dictum est, multum esse aliquid in aliud transiens; ad veritatem propius prima unitate adhibita accedetur. Nam duae illae unitates non magis quam aliquid et aliud extrinsecus sibi oppositae, neque ejusdem ordinis sunt, sed secunda e prima, multum ex uno provenit. — Denique multum ipsum in unum redit et coit, qua tertia coitione existit omne. —

Unum, multum, omne, -- haec primum quendam hujus expositionis orbem efficiunt. — Principium quiescit ac silet. Movet tamen ac fatur. Distinguit quietem ac motum, silentium atque effamen. Quae effamina sive momenta, aliquid et aliud, hoc motus, illud quietis sunt. Jam quod haec sua ipsius momenta, neque alieni cujusquam, sed ipsius effamina sunt, ipsumque in iis, quod est, esse pergit, ejus rei recordandum est, ut progressus iterationis inanis taedium effugiat. Ea autem recordatio et in se reversio gradu triplici fit: pro momentorum diversitate tam inter se quam ab illo, quo continentur, primum quietata, deinde mota, denique mota simul et quietata unitas ponenda est.

Unum fit ex alio. Aliud est id quod agitur ut progressum et transgressum. Nec quidquam exstat, unde progressum sit, quod dicere possis post illud aut adversus illud mansisse. A se progressum est aliud. Ideo, qua aliud est, simul non progressum est, sed in

ipso progressu jacet et est id quod est. Jam vero sic non amplius illud simplicissimum omnium est, nec magis aliquid, nec aliud, sed unum aliquod certum ac definitum. Nec definitur aliquo aliunde repetito, sed eo definitur, quod indefinitum est. Ergo est unum aliquod —.

Quod agitur unum est, quiescentibus ejus momentis sub alterius specie, alicujus. Alterum momentum, quod est aliud, cum illo in unum cecidit, et sic est unum.

In hac igitur unitate alicujus vis praevalet, quasi inaudita altera parte, quae tamen in ea inest atque eadem est, sed ignoratur. Recordando autem alteram partem, quae est aliud, desiit ipsum esse simpliciter unum; unum quid porro sit quaerendo ad aliud transiit. Non simpliciter aliud, quippe quod jam unum sit; sed ergo ipsum unum recurrit. Extrinsecus quod aliud nullum repeti potest, aliud quod ipsum unum est repetitur; unum ita fit aliud, ut transeat in unum. Hoc novum primo ut aliud aliquod apparet, est enim unum repetitum; nec tamen aliud ac diversum est ab uno, sed idem; repetitum enim ipsum unum est. Sed alia definitio agebatur illi. Quod si repetitione iterum unum efficitur, iterum repetitur, et sic porro, quatenus semper unum tantum efficitur. Atqui unum, per se sumtum, potius non pro eo, quod efficiatur, habendum neque id est, quod repetitione appetatur, nam repetitionis initio tollitur. Vere ergo efficitur pura et inanis unius repetitio et iteratio; et habemus hoc: unum — unum — unum — et sic uno tenore, h. e. multum.

Multum est secunda unitas, quae existit ei, quod quaeritur, in via recordationis sui, qua simplicia sua momenta comprehendit. In hac vis potior alteri momento conceditur; nam multum qua dicitur, id ipsum indefinitum est, porro et semper progressum et trans-

gressum. Hic alteri quietis momento idem quod prius motionis accidit, ut ignoretur. Exstat unum in multo, sed ponitur, ut abeat, apparet, ut tollatur et transeat; itaque potius non exstat. Multum altera ex parte ab altera sui parte abhorret. Quod unum in multo, ut transire possit, denuo semper ponendum est, (unicuique accidunt vexationes ob rei concretæ negligentiam huic cogitationis orbi propriam,) in eo causa sita est, quare multum tollatur et transeat.

Multum est unum et unum et semper unum, sive unum, quod aliud factum unum factum est. -- Unum interit, sed interiens novum unum nascitur; sic nascitur multum. Multum, ut cuius natura unum interiens est, in ipso nascendo interit. Quo facto rursus idem est, quod ipsum in nascendo, quæve ei nascendi natura est, unum. Hoc novum autem non jam unum simpliciter, id quod non esset novum; multum est, sed ne id quidem solum, ut præteriit; ergo certum ac definitum aliquod multum, atque hoc eo, quod est id omne quod hic vides: unum, multum, aliquid, aliud, neque ea singula et plura, sed indifferenter in unum omne contractum, h. e. simpliciter omne.

Omne (cf. Heg. Log. I, p. 103) est id momentum, quo unum et multum pari pondere librantur; quatenus unum est, eatenus multum est. Utrumque in eo sublatum inest, atque ita ipsum est quæta unitas, in quam illa coierunt. Simul autem omne id, quod est, per differentiam tantum illorum est. Quare iis sublatis tollitur ipsum omne. Ideo omne est motus quidam instabilis, quem lapsus sequitur et quies. — Haec sic quoque, si placet, dici possunt: omne fuga unius in multum, et multi in unum, et omnino unius multique fuga est, sed simul in eorum differentia positum est. Ergo in semetipso secum pugnat, quia consociat, quæ sibi contraria sunt; ejusmodi vero societas dissolvitur. —

Dissolvitur illa, et quod sequitur et nunc agitur, nihil est. —

V.

Orbis jam post nos nihilumque relictus construebatur nobis in indefinito progredientibus, ipsiusque purae et indeterminatae cogitationis progressu Cujus experientia viae indeterminatum illud sustulit. Jam quod agitur nobis, per se ipsum definitum, hoc ipsum est, quod omni sublato exstat, nihil.

Quaeritur, quid porro, quando omne dissolutum et transactum est. Jam non responderi aliquid, nec ad primum illud initium recidi potest. Quamquam ipsum utique recurrat necesse est; quaeritur enim; imo continuum fundamentum est, pergitur ejus veritas cognosci, manet indeterminatum, quod determinetur, impersonale quod pure agatur, pura cogitatio ad verius veriusque cogitanda ascensura. Sed non jam exstat illud primum, sed, sublato omni, illud quod quaestio vel ipsum omne de semetipso efficere possit. Quid inde vero efficiendum sit, non per aliud constituitur; quod porro agetur, non aliunde in hujus quaestionis perpetuitatem inducitur. Tandem igitur quid post id omne agitur? Siquidem ex omni non potest aliquid vel aliud fieri, nihil restat nisi quod restare modo dictum est, nihil. —

Quoniam ad nihilum perventum est, nihil curare licet, si quis forte dixerit nihil hac via nobis profici. Nihil ad rem ista novi. Vidimus id quod agitur ipsum adeo nihil omne curare, ut de omni nihil faciendum curaverit. Voluimus venire ad id, manere in eo, quod agitur; nihilum vero est id ipsum, eaque ejus forma; ad quam perventum est. — Vere id ipsum esse nihilum, probare non opus est; nos enim fecimus et ad nihilum redeimus, et res acta est. Nihilum ex omni prodiit,

omne in nihilum transiit. Qui transitus is est, quo illud omne non actum tantum, sed conservatum et ipsum nihilum sit.

Si minoris aestimatur nihilum quam aliquid aut omne, majoris dignitatis donum his tribuitur rerum aliquarum abundantia, quae in nihilo desideretur. Ita omnino res accipi non posset, nisi omne et nihil, quo ordine hic apparuerunt, inter se collata ita se haberent, ut forma quidem nihili exilior et inanior videretur. Nam quum aliquid et quae sequuntur progressionis et explanationis gradus sint, nihilum, ut novi orbis initium, implicite et simpliciter se offert. Deinde vero, quum nihilum primum orbem sublatum sequatur, in altiori gradu hoc novum initium fit. Nihilum plus valet quam omne. Altior autem gradus eo est, quod prior non mere abiit, sed idem conservatur, quia ipse non ab alio, sed a se novum orbem incipit.

Nihilum igitur, ut initium, rursus est indeterminatum, quod determinationem expetit. Simul et determinatum est, ut effectum sublato priore, quo id quod est est. Hac ejus natura, qua omne sublatum in se continet, sequens ejus determinatio tenetur.

Quum ea sit nihili natura, ut omne in eo collapsum sit, omne non jam omne, sed ipsum nihil est. Est igitur ipsum nihilum in nihilo. Nihilum autem est id quod nunc quaeritur; ergo quod quaeritur est in se.

In se habente se illo sive nihilo, non exstant nihila duo, quorum alterum in altero ita insit, ut separari possint et alterum ex altero eximi; sed primum transiit in alterum, itaque illud abiit, et una tantum forma, unum nihilum exstat; quod non simpliciter nihil, sed determinatum in se est.

Quas sibi species fingit nihilum in quaestionis progressionem, ea, si ita dicere libet, nihila orbem efficiunt simplicium et purarum relationum et reflexionum. Ma-

nant ex nihilo, ut quod omni sublato nihilum est. Si nihilum primi initii loco ponitur, scilicet non posse inde quidquam evadere nisi temere factum. Sed ex priori progressum ad idem refertur, et in ea relatione datur potestas et causa pergendi. Refertur ad omne. Atqui omne jam nihil est. Ergo nihil refertur ad se, et relationis expositio nihili expositio est. Quae expositio non praebet relationes rei alicui aut rebus aut ipsi nihilo adhaerentes, (nihilum enim in eas introit et interit,) sed puras relationes ipsas, nihili relationes ad nihilum.

Primum horum nihilorum apparuit. Nihil ab ea parte spectatum, qua omne in eo interiit, (id quod natura primam ejus definitionem efficit,) pure in se est. Nihil est illud ipsum, ut ab incremento suo, quum omne sibi tribueret, in se collapsum. Effectus est dissolutionis, non alienae, sed suae, ideoque, ut dissolutum, ad se relatum mansit. Jam si quaeritur, quid porro agatur, ut ne a proposito aberretur, collapsum necesse est ex nihilo progrediatur, dissolutumque reficiatur, atque id per ipsum fiat; discernat igitur et exponat momenta, quae dissolutum continet, ac deinde eadem comprehendendo vere sua esse comprobet. Ea vero refectio simul altera est dissolutio et in tertium gradum transgressio.

Simplex et liberum id quod quaeritur initio fuit. Recens in viam se dat, res bene succedit, omne datur. Id omne quidem bene haberet; sed quid ultra? Nam omne nihil melius quam nihil. In eo nihilo se ipsum amisisse videtur. Quaeritur ergo, quonam abierit, ubi nam reperiatur. Nihilum consilii inopiae momentum est — Nihilum est spatium vacuum, quae est pura cogitatio. Frustra ibi quaereretur, ubi? si expectaretur hic vel illic alibi atque in ipsa pura cogitatione et quaestione. Hic locus est differentiarum suarum, haec responsura ad suas quaestiones *ἤχώ*. Haec igitur pura

relatio, in se, nullo alio, quod in se sit, apposito, primum est, quo nihili quaestio pergat.

Hoc momentum est confirmationis, et fundamentum refectionis. Sed momentum temporis est; confirmationem jamjam sequitur desperatio, qua projicit se extra se ipsum, quia in se referendo nihil proficitur. Proficitur nihil, hoc est, nihilum progreditur extra se ipsum, et sic progressum hoc est, extra se.

Nihilum in nihilo erat. Ut in se igitur manet nihilum; eo ipso enim, quod in se est, nihilum est. Simul vero non manet nihilum; sed aliud factum est recordatione, quod est in se. Recordatio autem spectat ad prius, ad praeteritum, unde profectum est. Sed hoc, quoniam recordationis est, in ipso praeteritum est. Ergo cujus est recordatio, qua id ipsum est, ipsum est id quod ex eo factum sive quod extra se progressum est. Sic progressum ipsum est hoc nihilum, haec pura nihili extra se et in vacuum relatio, quod est simpliciter extra se.

Horror nihili, nobis jam, si fuerat, victus, nihilum ipsum modo subiit. In se reflexum, ubi omne emortuum ac sepultum est, nihil in sese reperit. Effugiens se aliud quid extra se quaerere et ad extraneum aliquid se referre videtur. Quod non vere exstat. Aliquid, aliud, omne, haec omnia in omnivora nihili voragine perierunt. Ergo extra se nihil praeter ipsum esse experitur. Fugit se, et fuga se ipsum aufert et ejicit, foras se reperturum. Illi quidem, ut nihilo, nihil exstāt nisi nihil. Quod quum ita sit, si quaeritur, quorsum eundum sit, externa spe deposita, se contentum ad se redit et secum habitat, nihilum cum nihilo, sive simpliciter secum.

Qua secum est, speciem ipsius sibi sufficientis praebet. Omnibus aliis, quaecunque extra sint, nihil movetur, nec eget, nec curat. Fuit extra se, in pro-

gressu autem ex ea relatione excedens ideoque eadem manens in contrariam pergit itaque in se reflectitur ac defigitur. — Simul autem ipsum sibi non sufficit, quod nihilum in se pro externo accepit. Alterius sui partis studio, relatione excedente simpliciter sublata, introentem relationem, quamquam et ipsam sublata (ut quae in illam abierat), tamen illius sublacione restitutam habet. Quare ipsum secum, qua in se est, ab ea parte pergit rursus extra se. Non vere secum est, sed nihilum ab exteriori parte sibi adhaerens habet. Hoc ipsi a se repellendum et secum conjungendum est.

Quum secum sit pura quaestio, in puro nihilo versans progressum non nisi a se accipere potest. Ipsum secum facit initium, idem finis est. Sic sibi ipsum opponitur. Oppositae autem partes, quippe quae unum idemque sint, evanescent, et exstat sola oppositio. — Prius est ipsum in se, ipso extra se sublato. Alterum est ipsum in se transgrediens in ipsum extra se. Motus fit ab altero in se ad alterum in se. Quorum prius tollitur in altero, quod et ipsum ipsi extra se indifferenter subest. Exitus itaque hujus motionis primum est ipsum extra se. Verum hoc initium ipsius secum, ideoque sublatum est. Ergo verus exitus ipsa motio. Ea incipit a fine prioris, sed non vere exit, sed abit ad alterum, quod idem atque illud est. Ergo a se abiens seque simul adiens manet a se. Ipsum autem, a quo manet, motione sublatum et ad finem motionis rejectum est. Quare ab eo manens motio refertur, atque haec pura relatio est a se.

Ipsum, quod a se est, a se pergit et in se recidit, ut secum sit. Ut a se, forma et specie est extra se, quia nihilum est, quod reversione ad se pervenit, sed in se nondum introiit nec se pervasit. Id facere ipsum, ut extra se, jubet, quippe quod ad relationem in se redeat sive ad relationem secum pergat. A se pura cogitatio ita est,

ut inter nihilum, unde venit, et nihilum, quod petit, suspensum sit. In eo est, ut perpetua amborum unitas, quae per se est, concipiatur et per se perfectum nihilum proponatur. Infecta res foret, si inter contraria inania fluctuantes illum formae transitum usque sequeremur. Quare accipiendum nobis est id, quo fluctuatio constat. Hoc enim est id quod per se factum est. Constat autem eo, quod illud ipsum sive nihilum, quum a se exeat et simul secum permaneat, per se ipsum pervadit. Hoc in pervadendo si constamus, hoc ipsum habemus, quod per se est.

Per se est nihilum perfectum et absolutum. — Si ipsum per se, ut saepe fit, cum vi et gravitate profertur, vere quidem nihil dicitur, sed et nihilo omne absolvitur, et ipso per se omne dicitur, quod intra nihili fines dici possit. — Triumphat nihilum sese potitum, per seque nihilum se et nihili esse expertum. Ea experientia constat in pervadendo per contraria momenta. Quae a se secum coeuntia quum discriminata esse desiderint, ipsum pervadere non jam est pervadere; quo sublato non exstat nihil, sed hoc ipsum, pervasisse. Pervasisse autem sive pervadendo esse dicitur per „reflexionem“, qua ad illud sublatum spectamus; qua omissa reliquum est simpliciter esse.

Id quod quaeritur, quum per ipsum per se pervaserit, quid porro sit, quaeritur. Non est illud omnium primum, non est nihil, non aliud quidquam illorum, quae absoluta sunt. Accipiendum est id, quod restat detractis omnibus, quae apparuerunt et quae posthac apparitura videantur. Est igitur id quod est. Ergo, detractis et ipso et eo quod est (et iis quae novimus, et iis quae ignoramus), nihil restat nisi id, quo id ipsum quod est esse dicitur, h. e. esse.

Hoc initium est orbis tertii, quem inchoatum nunc relinquimus.

V I T A.

Carolus Rothe, Leucopetrae Saxo-Borussorum anno MDCCCXXI natus, postquam puerili insitutione perfecta in scholam Portensem deductus ita me per sex annos gessi, ut jam studiorum libertatem ferre posse viderer, Lipsiam, quum jus mihi delegissem, patris voluntate me contuli. Biennium ibi commoratus, ne fructus ex scholis Puchtæ, Albrechtii, aliorum illustrium virorum perceptus patriæ deesset, Halas transmigravi. Sed cum coelo sensim consilio mutato ad theologiam me converti. Triennio autem absoluto concionandi facultatem (quam raro exercui) nactus in hanc provinciam deveni et complures annos nobilis cujusdam domus subolem institui. Ex ea rusticatione Regiomonti haerens, quum studiorum iterum desertor essem, consilii dubius, donec potiora assequerer, quaestus causa confugi ad juventutem militarem, cui hos decem annos civilibus literis subveni. Quod negotium quum parum mihi convenire gravissime saepe senserim, emergere tamen adhuc nescii. Quae quum ita sint, ut tandem aliquando et parentum votis et mihi met ipsi, quantum poterit, satisfaciam, philosophiae potissimum opem invocavi, quippe quod studium, Lipsiae inchoatum, Halis deinde impulsu praecipue Erdmanni auctum et amplificatum, per varios errores denuo semper redintegratum servaverim.

BD
41
R67

Rothe, Carolus
De disciplinae speculativae
initio

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW



D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 04 25 06 002 8